



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXXXVI. De Depopulatione Revaliae terrae Regis Daciae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

C A P. CCCXXXVI.

*De**Adventu peregrinorum, & intenso
frigore,*

Anno Domini MCCCCXXIII. Dominus de (a) Cimeberg & Dominus de Egerberg cum multis Nobilibus de Bohemia & Reno fuerunt in terra Pruschiæ. In hac hyeme intensissimum fuit gelu, sic quod quasi omnes arbores fructiferæ in partibus Livoniæ & Pruschiæ, aut omnino aruerunt, vel infra multos annos vires pristinas resumere non valebant. Unde licet exercitus magnus, à fratribus congregatus venisset ferè ad medium viæ inter Lethoviam & Pruschiam; tamen ultra procedere non valebant, quia præ nimio frigore communis populus periisset.

ANIMADVERSIO.

(a) Elbingensis Codex habet Cuncenberg, Kojalovvicz verò & Strykovsky Kumererg.

C A P. CCCXXXVI.

*De**Depopulatione Revaliæ terræ Regis
Dacie.*

Eodem tempore David Castellanus de Gartha cum exercitu Lethovinorum intravit (a) Revaliam terram Regis (b) Dacie, & præter alia infinita damna, quibus oppressit dictam terram, incendio & rapinâ, ultra quinque millia hominum Christianorum Nobilium, Matronarum, virginum & aliorum promiscui sexus cepit & interfecit. Sacerdotes etiam plures seculares, & religiosos occidit. Sacraenta, Ecclesias, vestes sacras &

vasa

vasa altaris, & quicquid ad Divinum cultum spectabat, inhuma-
niter polluit & concremavit.

ANIMA D V E R S I O N E S

(a) Aesthoniam Livoniæ Provinciam jam ante Christianorum ingressum regno Daniæ fuisse subjectam à Canuto Rege, tradit. Joannes Isacius Pontanus *l. VI. Rerum Danicar. ad An. 1196. pag. 290.* Alii hoc tribunt Canuti fratri Waldemaro II. qui etiam Revaliâ conditâ Episcopatum ibidem constituit, Londensique Archiepiscopo ut Metropolitanu subjecit. *Pont. Lib. VI. ad an. 1218. fol. 307. & ad annum 1234. f. 318.* Posthæc Fratres Ensiferi omnibus viribus eō nitebantur, ut sibi Aesthoniam subjicerent. Jamque Revaliam expugnaverant; eam tamen dein auctoritate Legati Pontificii compulsi Danis reddiderunt. Th. Waisselius in *Chron. Pruss. & Livon. fol. 61.* (b). Non cessarunt verò & postea Cruciferi Revaliensibus insidias struere. Unde Aesthoniam Nobilitas extorsit à Christophoro II. Rege literas, quibus Rex promittit, se nunquam Aesthoniam à Regno Daniæ vel venditione, vel alio modo, separaturum, quas literas exhibit Pontanus *lib. VII. pag. 450.* Contra hæc tamen pacta & Contra Aesthonum jusjurandum, quo illi nunquam se à Regno Daniæ rececluros promittebant, vendidit Waldemarus III. Christophori filius Aesthoniam Henrico Dusnero Mag. Ord. Generali An. 1346. acceptis 18000. (19000.) argenti Marcis. Pontanus *l. VII. f. 475.* Conf. Balthasar Rustov in *Cron. Livon. part. II. fol. 39. b.* Quamvis autem Aesthonia fuerit Cruciferis subjecta, Episcopus tamen Revaliensis Archiepiscopum Londensem agnoscit Metropolitanum, quod de suo adhuc tempore testatur Alb. Cranz. *lib. VI. Wandal. cap. XI.*

(b) Per Daciam eorum temporum Scriptores intelligunt Daniam.

C A P. CCCXXXVII.

De

*Destructione Civitatis Memelæ & plu-
riū Castrorum.*

D d d 2

Hoc